Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 27. Februarii.

M. ANTONIO-JOANNE MORAND, Doctore Medico, Præſide.

An qui humidioribus veſcuntur diutiùs vivunt?

VITA eſt ſucci nutritii ad omnes corporis animati particulas applicatio, quâ reparatis humidi nativi jacturis, illarum ſtructura, poſitus, concentus & actio conſervantur. Communis eſt tantum plantis & animalibus; in illis paucis organis indiget, in his multiplici partium apparatu continetur. Ejus curſus inſigni temperamenti mutatione ſeu ætatum viciſſitudine diſtinguitur. Ab infirma puerilis mollitie ducit initium, & aridâ ſenectute clauditur, florentis fervore incitatur, conſtantis gravitate nunquam retardatus inſiſtit, ſemperque velociſſimus fatales ad metas properat; ad quas quæcumque naſcuntur & vivunt, fatali ac neceſſariâ lege quædam ocyùs alia ſeriùs volvuntur. Sic Cedro, Palmæ, Cupreſſo, vita multis invicta ſeculis durat; Ophio gloſſo, Ephemero & parvulo inſecto quod Hemerobium inde vocant, intra diei ſpatium diſſolvitur; ſic Elephanto, Camelo, Aquilæ, Cygno centum in annos prorogatur, cum papilionibus paucos in menſes excurrat. Homines inter quos gracilibus quadratos, graciles obeſis, pingueſque macilentis vitæ longinquitate præſtare obſervatur, à ſtirpibus quidem aliquot longævitate ſuperantur; ſed niſi cornicum, cervorum & ſimilium commentis temerè fides adhibeatur, animalium vivaciſſimis non inferiores habendi ſunt. Quandoquidem ubicumque terrarum non paucos vivere centum annos & ampliùs experientia comprobat. Quis vero ſit præfinitus vitæ humanæ terminus, tam ignotum eſt ac incertum, quam hunc accelerare vel remorari omnibus integrum eſſe patet.

UT non modo ſtirpium ac brutarum animantium ſed etiam hominum vita in corporis partium alimentum deferentium admittentiumve commercio & actione verſatur, ejus conſervatio potiſſimùm à ſpiritu ſeu calore illis infuſo dependet; qui eſt tenuis, ætherea, perennique motu acta materia ſanguinis vapori puriſſimo permixta. Is dum arteriarum ductu cum ſanguine in membra vectus appellit, vitalis & influentis nomine donatur, ac inſiti cum inhæret partibus; Quando muſculorum artuumque molem agitat, inſervitque ſenſibus, animalis appellatur; Quamdiu multo humido retuſus ſuccos attenuat, coquit & ad alendum aptos reddit, naturalis dicitur, igneus verò febriliſque, ſi hos incendit atque conſumit. Cum natura ſit mobilis atque fugax, citiùs evolaret, niſi lento humore tanquam vinculis aſtrictus retineretur; qui ſi aquoſus eſt, calorem extinguit; ſi redundat, opprimit; ſi paucus, reſolvitur, ſi exiguo calore perfunditur, frigoris vim non ſuſtinet. Nec vita multos in annos producitur, niſi partium affabrè concinnatarum firma compages, quæ diu functionibus obeundis non impar ſit, conjungatur cum humido copioſo & pingui, quod neque calore neque frigore profligetur, & quod eâ proportione cum calore temperetur, ut neutrius dominium excitatâ ſeditione contingat. Cum enim jugi motu attritæ partes & ſiccitate contractæ alimentum excipere non valent, fatiſcunt, & agere ceſſant; ita ut ſeneſcere idem ſit ac areſcere, morſque ſit omnis motus ab humidi conſumptione privatio.

QUI mortem humanâ induſtriâ vitari poſſe, Ptolomæum imitati regem, inſulsè credunt, tam cæci ſunt quamqui hanc intemperantiâ maturari, & rectè inſtitutâ vivendi ratione, plus vel minus pro corporis temperamento & compoſitione retardari non vident. Quippe homo non tantum ut in lucem editus eſt, ſtatim exterarum fortuitarumque cauſarum impreſſionibus nudus objicitur, quarum vi ſæpe frangitur, & violentâ morte dicitur occumbere, ſed occultis etiam domeſticorum hoſtium inſidiis opportuniſſimus eſt: Sicut enim in ferro rubigo, & coſſi teredineſque in ligno peſtes ingenitæ latent, ſic ab ortu morborum lethique ſemina in ſe fovet, à quibus immaturo interitu rapitur. Immo dum calor vitæ ipſius author proprium humidum ſenſim exhaurit, tabeſcit & fato naturali occidit. Ejus enim corporis adeo fluxa eſt diſſolubiliſque coagmentatio, ut intra breve ſpatium (quod rarò ultra ſeptem dies proferri poteſt) labefactaretur, niſi quod continenter dilabitur nutritio reponeret, & novâ in locum effluentis ſuffectâ materiâ ruinas reſarciret. Quæ ſi uberior ad partes vel molles vel ſolidas accedit quam decedat, ſtatura vel craſſitudo corporis augeſcunt; non tamen ad mortem uſque, quod de Crocodilo ferunt, ſed tantum ad ſenectutem, quâ cum nimis partes jam induruerint, creſcere quidem deſinunt, non verò nutriri, nec vivere, niſi quando viſcera vel quælibet communibus vitæ muniis addicta organa, ut in piſcibus branchiæ ac in perfectis animalibus pulmones ob nutrimenti penuriam arida ſolito ab opere conquieſcunt. Quid autem eſt ad partes exſuccas & ſiccitate rigidas emolliendas, exhauſtaſque reficiendas humidiori alimento potentius? cui corpus magis quam ipſi ſemini debet, utpote cui non tantum incrementum, robur, functiones, perfectionemque, ſed illorum omnium diuturnitatem accepta refert. Eſt enim corporis viventis materiæ tam familiare tamque ſimile, ut in deperditæ locum ſubſtituatur, quæ cum ſit humida, ſolida & ætherea, potu cibo & aëre integranda fuit; quorum naturam, copiam, vires uſumque ad vitam diu tuendam potiſſimum conferre minimè dubium eſt.

CUILIBET vitæ diu prorogandæ ſtudenti, non modo quod ſpiritus vel aëris ambientis calore vel motu per os & nares exhalatur, atque per totius corporis meatus & ſpiracula indeſinenter effugit reſtituendum eſt, ſed etiam partium compoſitio temperatioque conſervandæ ſunt, nec non illarum nimia diſſipatio prohibenda, quæ præſertim in recto humidioris victus uſu verſantur. Si quidem non alio conſilio ad capeſcendum alimentum ſiti & fame natura nos exſtimulat, quam ut eſculenta potulentis eſſe miſcenda, & ſicciorem eſcam liquidis emolliendam atque diluendam eſſe admoneat: cumque ipſa humidiſſimum lac ſugendum infantibus exhibet, humidiorem alimoniam cæteris omnibus præferre videtur. Cibus enim ſolus ille qui multo imbutus eſt humore, alioquin inſuperabilis, in chylum facilè convertitur ac undique diſtribuitur. Eſt contra prorſus ad alendum inutilis priuſquam fuerit in corporis penetralibus liquefactus, multoties attenuatus atque fuſus. Nec ſi craſſus eſſet ac fæculentus, poſſet unquam per arctiſſimas nervorum, membranarum, fibrarum, cartilaginum & oſſium anguſtias penetrare. Sed neutiquam liquidum eſſe juvaret, ſi fervidus, vel ſalſus vel acer exiſteret, ſiquidem muriæ vel aquæ ſtygiæ aut ferventis inſtar quæ nihilo ſecius exſiccant & urunt etſi diffluant, totius corporis humidum, ſerpente obtenuitatem longiùs latiuſque labe, potius vaſtaret quam repararet. Sic partes omnes genio defraudatæ brevi & ante diem exhauſtæ marceſcerent, niſi uberibus alimenti humidioris laticibus rigarentur, quibus non tantum earum detrimentum inſtauratur, earumque ſtructura & humidum adverſus calorem prædonem ejus perpetuum muniuntur, ſed etiam ipſe calor fundi proprii fatalis ac neceſſarius decoctor ita temperatur, ut ſenſim factus ex acri lenis, ex rapido placidus, & conſumptore beneficus, non poſſit ſua bona niſi lentè & longo tractu temporis diſperdere.

NON minus ad longævitatem mollioribus humidioribuſque nutriri cibis, quam gratis, conſuetis, ſimplicibus, temperatis, corporiſque materiæ quam ſimillimis expedit, licetque ſicciores aliquando humoribus diffluenti corpore inſtructis non officiant, quales fuere forſan quos à cibo & potu glirium inſtar ſuo ſucco viventes diu abſtinuiſſe narrant, cæteris maximè nocere conſtat, & iis omnibus, ut etiam animalibus quæ φωλεύοντα dicuntur, exiguum ſemper ævum fuiſſe compertum eſt. At victus humidior quemadmodum lac univerſis puellulis competit, omnibus hominibus quocumque temperamento præditis vel etiam, cum fervemur ſimilibus, ipſis humidis, modo prudenter adhibeatur, convenientiſſimus eſt. Siquis ergo benè natus eſt robuſto nempe ac bene temperato corpore inſtructus, & cibis veſcitur per ſe vel per ſolius aquæ, aut vino pauculo permixtæ potum humidioribus, boni ſucci, nullâque vi præpollente donatis, ut carne Caporum, Pullorum, Perdicum, Vituli, Bovis, juſculis ex eâ paratis, Ovis ac Pane ſiligineo recentibus & ſimilibus, non ut abdomini ſed ut neceſſitati ſerviat, modo præterea liberam, puram & æquabilem ducat animam, ſomno & quiete ad recreandas non ad frangendas vires utatur, ad excitandum non ad diſſipandum calorem vigilet & exerceatur, non ſinat perturbationibus animum vehementiùs commoveri, corpuſque blandioribus voluptatibus diſſolvi, curetque tandem ut ſordibus abſterſis ubique niteat, à vanâ climactericorum annorum, cometarum, aſtrorumque deffectionum (quæ ſunt imperitæ plebis terricula) pernicie tutus feliciter vivet; recteque ſpretis arcanis ex auro, gemmis, cervorum ſerpentumque carnibus inani molitione concinnatis liquoribus, qui ſunt ſtultæ credulitatis partus, debitum longiori vitæ curſum abſolvet. Qui contra licet firmis vitæ fundamentis nitatur, ſe in omne libidinum genus præcipitem & effrænatum effundit, exercitationibus, vigiliis, curis, jejunioque ſe macerat, calidioribus, ſiccioribuſque opſoniis, condimentis, ſalſamentis & ſimilibus infarcit, ſeque mero, chocolatâ, caphe, the & hujuſmodi ſitis irritamentis, quorum ~~nu~~ *Cau*tior uſus prodeſſe poſſet, intemperantiùs replet; non ſecus ac arbor quæ cum aquâ calidâ diutiùs reſperſa maduerit, quamvis ad tempus lætiùs adoleſcere videatur brevi tamen areſcit, cum fuerit aliquandiu ad actiones expeditior & promptior propediem tabidus ruit, & immaturâ morte conficitur.

Ergo qui humidioribus veſcuntur diutiùs vivunt.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Aſſerebat Pariſiis JOANNES BOUDIN, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.